✠

27

ILL.MO D. D.

DECANO ET CAPITULO

ALMÆ METROPOLITANÆ

AC PATRIARCHALIS ECCLESIÆ

HISPALENSIS

CLERICORUM REGULARIUM

MINORUM

BŒTICA PROVINCIA PRO COMITIIS PROVINCIALIBUS
CELEBRANDIS CONGREGATA,

PROPOSITIONES GENERALES

IN UNIVERSAM SCRIPTURAM SACRAM,
EX VERBI DEI IN ÆTERNUM MANENTIS,
EJUSDEMQUE AUGUSTISSIMI NOMINIS ARCANIS
VENERANDIS DEPROMPTAS,
IN AMORIS, AC GRATITUDINIS
OBSEQUENTISSIMUM SIGNUM

D. O. S.



Nacto permissu, et Regii Censoris approbatione: HISPALI: excudit Typificus Major, ejusdem Nobilissimæ, Fidelissimæque Civitatis.



AD MAJOREM RESURGENTIS GLORIAM,

PROVINCIA Bœtica Clericorum Minorum Regularium, Comitiis triennalibus congregata, manentis in æternum Verbi Dei, ejusdemque augustissimi Nominis arcana veneranda, Sapientiam inhians elucidare, in quantum datum est mortalibus, reserare aggreditur. Nosque, meritis licet imparibus, ad hocce munus, pro sua benignitate,designati, ejusdem Provinciæ nomine, et si de nostri tenuitate ingenii diffidentes, præfatum Sacro-Sanctum tremendumque Dei Nomen, scriptum venerabile Verbum defendere, atque explanare, conamur.

Deum Optimum Maximum, ejusdem permanens, et æternum Verbum, Tremendumque ipsius venerabile Nomen,quid esse unum,

et idem, Catholicorum inficiabitur nemo. In Verbo etenim suo, qui potens est, et Sanctum Nomen ejus omnia quæcunque voluit, fecit, et creavit. Hoc Verbum, hoc Nomen Sanctum, Sacris in litteris, velut in pellucido speculo, nobis manifestatum, et traditum, quatuor hebraici idiomatis elementis admirabili, ac in mysteriis fœcundissimo modo, ipsius Dei Spiritu insufflante, continetur: undè â Græcis *Tetragrammaton*, (a) sicut etiam â Latinis appellatur. Quatuor hæ litteræ sunt, *Jod*, *He*, *Vau*, *He*; (b) â quibus, velut â nunquam exhausto Lucis, ac Sapientiæ fonte, per arcanos, ut Kabalistæ loquuntur, Canales, (c) in omnia creata visibilia, et invisibilia, admirando quidem mysterio, virtus, et fœcundissimæ Divinæ Mentis operationes ad extra derivantur.

Ex his enim quatuor elementis mira subtilitate, et ingenio combinatis, ac diversimodè lectis, omnia profluere demonstrant, quæ

in

(a) Græcè Τετραγραμματον *id est quatuor litterarum.*

(b) הוהי *nota inverso ordine hic apponi sicuti referuntur, nan hebræi scribentes à dextera à Jod* י *incipiunt.*

(c) *Vide Templ. Salomon. Sephirotic. Schemma. Athanas. Kirker. in Oedip. p. 1. tom. 2. clas. 7. et Rab. plur. passim in operib. Kabalist.*

in Sacris Veteris Testamenti libris continentur, Verba, sententiæ, conceptus, ordo, et siquid est aliud, quod nostra intersit, quodque ad profundiorem sensum adipiscendum, in ipsis inveniatur. Improbus esset labor,et opus; non omnia, quæ ad hanc profundissimam scientiam pertinent, sed vel pauca illa, quæ, Deo dante, ut ad aliqualem sacrorum librorum intelligentiam perveniremus, posidere potuimus, ad nostras, quas offerimus de Verbo Dei propositiones dilucidandas, exponere, et explanare: quapropter aliquali delibatione contenti, quæ ad nostrum finem indigitandum sufficiant, ex Pardes, ex Oedipo, et ex Ziruph, eruta proponemus.

Ea siquidem incomprehensibilis Deitas, cujus esse Nomen, cujus substantia Verbum, præfatis quatuor elementis contenta, Trina â cunctis Catholicis confitetur, et prædicatur. Undè si duplex Sancti Nominis *He* (a) quasi unicum, etsi repetitum, elementum reputetur; tres distinctæ litteræ in uno, eo-

dem-

(a) יהוה *ubi aparet secundam et ultimam litteram esse unam.*

demque nomine, sicut tres distinctæ hipostases in una, eademque natura, invenientur. Si verò quatuor Sancti Nominis elementa per tria multiplicentur; Augustino duce, (a) duodenarium sæpissimè in Sacris litteris commendatum, et â Sanctis Patribus laudatum numerum inveniemus; atque in hoc mystico duodenario, arcanum aliud nomen ejusdem Dei continetur, quod antiquissimi Scripturarum Expositores, et profundissimi mysteriorum indagatores *duodecim litterarum nomen* (b) passim nuncuparunt.

Hoc Dodecagrammaton nomen Dei, ait R. Rambam (c) *dicitur unum, non quod unum vere sit, sed quod sint sex nomina in unum composita, arcana Dei venerandi continentia attributa unius simplicissimæ essentiæ, é*

pe.

(a) August. super Psalm. 86. *Ante medium, ubi etsi ad alium Mysterium explicandum, eâdem utitur explanatione per multiplicationem similem.*

(b) *Græce* Δωδεκαγραμματον *de quo innumeri sed præcipuè R. Rambam lib.* II מרנבכים *Morenebuchim. Videatur etiam Galat. lib. 2. de Arcanis Cathol. verit. ferè per tot.*

(c) *Idem ibidem. Hoc nomen non docuerunt Patres nisi illos honestos, et pudicos viros, qui erant in Sacerdotio, eo quod Verbi Dei mirificas qualitates in se contineret.* Athan. Kirk. in Oedip. tom. 2. p. 1. clas. 4. de Cabal. hebræor. §. 3.

perenni fonte Sacro-Sancti Nominis JEHOVAH derivata. Et quidem facili negotio altissima hæc prædicata patefient mysteria, si vel duodecim ejusdem Nominis litteras, quatuor ternariis divisas, hoc est Ternas, legamus, vel binas, seu in sex binaria distributas interpretemur. Primo enim modo *Pater*, *Filius*, *Spiritus-Sanctus* enunciant: Hebraicè: *Ab*, *Ben*, *Ruh-Hakados.* Secundo autem modo, VERITAS, CONFORMITAS, CERTITUDO, CLARITAS, STABILITAS, INCORRUPTIBILITAS interpretantur. (a) Quæ omnia diffusiori, et si obscuriori modo R. Abraham in Jezirah, R. Joseph Castilion. R.Recchai, et ex Latinis Galatinus, Sixtus Senensis, Athanasius Kirker, Georgius Venetus, et alii passim commendant, et venerantur.

En ergo ex inefabilis *Tetragrammaton* Divino fonte, Æterni Verbi Trinam essentiam, sex admirabilibus attributis, in ipso Verbo scrip-

(a) *Hoc est nomen Dodecagrammaton* אבבןרוהחקדוש *ex Author. præcitator. mente.*

scripto manifestatam, inque Sancto *Dodecagrammaton* contentam. Verum enim verò ne fortè, nescio quis arcanæ istiusmodi Theologiæ sciolus, perperam nos, ex his fontibus, et Verbum Dei scriptum, et ejusdem sex præcipua prædicata derivare, garriat; ejusdem Sacro-Sancti *Dodecagrammaton* mysteria, in minimo saltem perscrutemur. Et ut tam mira, tamque nostro acommodata desiderio, minimè nos proprio ingenio confinxisse pateat; ductores nostros fatemur, non solum melioris notæ inter Rabinos interpretes, ac præcipue R. Nehuniam, (a) sed et complures latinos, maximè Galatinum, (b) inter omnes facilè Coripheum.

Ergo duodecim præfati Sancti Nominis elementa, per sex, quæ in ipso vidimus contineri, veneranda Verbi Dei scripti prædicata, multiplicatione ducta; septuaginta duo efficiunt, quæ sunt vel totidem Venerandæ Esentiæ attributa, ab unaquaque harum littera-

(a) *In Pardes ferè innumeris locis.*
(b) *Lib. 2. de Arcan. Catholic. veritat. Passim.*

rarum incipientia (a); vel, oportuniùs ad nostrum finem, septuaginta duo elementa, quæis constat celeberrimum, et (ut ait Kirker) omnium mysteriorum Epitome, et Anacephaleosis, (b) Dei nomen *Hebdecontaduogrammaton* (c), ceu septuaginta duarum litterarum.

Eccè jàm, quo ad nos attinet, patefactum mysterium. In memoriam, quæsumus, revocate reconditum illud arcanum â Doctore Maximo conclamatum, de numero elementorum Alphabeti Hebraici (d) numero Sacrorum Voluminum ab Hebræis in Canone habitorum, omninò respondente. *Quomodò igitur, ait, Viginti duo elementa sunt, per quæ scribimus hebraicé omne, quod loquimur, et eorum initiis vox humana comprehenditur; ita Viginti duo Volumina supputantur, quibus quasì litteris, et exordiis, in Dei Doctrina, tenera, et adhùc lactens viri justi eruditur*

in-

(a) *Oedip. Ægypt. tom. 2. p. 1. clas. 4. de Kabal. Hebræorum cap. 6. fol. mihi 271.*

(b) *Ibid. Kirk. in Schemmat. myst. Nom. Tetragr.*

(c) Ἑβδεκονταδυογραμματον *Græcè nuncupat.*

(d) *In Prolog. ad Vers. Veter. Testam.*

infantia. Ita nos, non absimili misterio, multorum tam ex Judæis doctissimis, quam ex Sapientissimis Christianis (a) auctoritate suffulti, ex iis omnibus, quæ hucusque exposuimus, Hieronymum sequentes, effamur.

Quomodó igitur Deus in Verbo, et Nomine suo, omnia quæcumque voluit fecit, quod placuit docuit, et manifestavit; ita per quatuor arcana elementa venerabilis sui scripti Nominis, non solum esse suum incomprehensibile, sed et admirabilia Verbi æterni attributa patefacere, non est dedignatus, in Sacro-Sancto *Dodecagrammaton*, ex quo etiam, ad Ecclesiæ suæ Sanctæ Doctrinam stabiliendam, magnum illud, et arcanum nomen *Hebdecontaduogrammaton* effluere manifestavit, ut in ipsius septuaginta duobus elementis Sancta septuaginta duo volumina, in quibus vetus, novaque lex, seu Verbum Dei scriptum, continetur, sex prædictis Divinæ lucis characteribus firmatum, scilicet VE-

(a) *Qui supra et etiam R. Salmon in Beresith. R. Rechab. Ben. David in Pom. aur. Abrah. Eccelens. Maronit. in Opusc. de Arcan. interpret. de quibus omn. Asemani et D. Herbelot in Bibliothec. orientalib. et Rabinis*

VERITATE, CONFORMITATE, CERTITUDINE, CLARITATE, STABILITATE, INCORRUPTIBILITATE.

Hi ergo Caracteres, qui Verbo Dei, ejusque Nomini sunt essentiales, eidem Verbo Scripto sunt inseparabiles proprietates. Volentes igitur nos hoc Dei Scriptum Verbum undequaque, et omnimodo firmum defendere, et prædicare; pro singulis prædictis proprietatibus, singulas propositiones, ex variis conclusionibus coagmentatas, proponimus defendendas.

PROPOSITIONES GENERALES.

I.

PRO VERITATE.

IN omnibus Libris Veteris Testamenti, qui in Codice Hiericuntino (quem, ut potè absdubiò inter eos, qui ad nos usque pervenerunt, antiquiorem, et copiosiorem, quasi Authographum defendimus) inveniuntur, Mysteria Sacrorum Nominum Dei, et præ-

cipuè Trium, de quibus locuti sumus, luculenter demonstrantur. Iidem, et reliqui Veteris Testamenti, cum omnibus Novæ Legis, prout sunt in Vulgata, qui numero septuaginta duo sunt, et â S. Tridentina Synodo recensentur, et Canonici, atque Authentici declárantur; in prænotatis septuaginta duabus litteris Magni Nominis Dei designantur, suntque verè Canonici, et Authentici. Id vero non obstat, sicut nec eorundem firma veritas, quominùs materiales errores habeant, jam Transcriptorum, et Typographorum incuria, jam opinionum, et parum accuratarum in scientiis notionum causa, quibus ipsi Auctores imbuti erant, pro majori, vel minori litteratura suorum temporum. Declaratio autem Tridentina, aliarum versionum, præcipuè earum, quæ pro Authographis habentur, et Septuaginta Interpretum, nihil derogat auctoritati.

II.

PRO CONFORMITATE

ADEÓ defendimus Conformitatem elucere in præfatis omnibus Sacris Voluminibus, ut omninò tam inter se ipsa, quam inter eorundem partes omni absolutè vera contradictione, aut antilogia carere, affirmare non dubitemur. Quascumque ergo Antilogias, in verbis, aut in sensu, vel hucusque inventas, vel â Sapientissimis Doctoribus, et Magistris inveniendas, solvere, et conciliare promittimus; sive intra idem caput, sive intra eundem Librum, sive tandem in diversis Libris inveniantur.

III.

PRO CERTITUDINE,

SI quæ dubia, si quæ incerta in Sacris Voluminibus reperiantur, id hominum menti, nullomodo Dei Verbo tribuendum est. Nihil ergo in scripturis in se dubium, omne in Sacris Voluminibus certum. Quæcumque au-

tem dubia ex mente humana circa Sacra septuaginta duo volumina, vel quamlibet ipsorum partem, tum á Catholicis,cum ab Hæreticis, aut infidelibus hucusque suscitata; vel ad placitum de novo sint suscitanda; pro viribus resolvemus, nostrasque resolutiones probabimus, et ab objectionibus defendemus.

IV.
PRO CLARITATE,

QUÆ absdubiò â vera, et genuina Verbi Dei interpretatione dependet; omnia quæcumque loca, è quibus vel antilogiæ eruantur, vel super quibus dubia suscitentur,ad mentem S. C. Ecclesiæ, et SS. Patrum, vera, et genuina interpretatione declarabimus; pulsis procul, et confutatis sive Accatholicorum, sive Moslemorum, sive Judaizantium detestabilibus, ac sinistris explicationibus, præcipuè ab Hæreticis quatuor posteriorum sæculorum, et quæ ab Hebræis in Misna, et â Moslemis in Alcorano adoptantur, et defenduntur.

V.
PRO STABILITATE

QUÆCUNQUE omnia ad rem Chronologicam in Sacris Litteris pertinent, firmo, ac stabili computu, inter se cohærent, eaque optimè concordata defendemus, cum historiis, tum Sacris cum Prophanis, et earumdem Chronologiis; cum iis, scilicèt, quæ ab antiquioribus, et modernis habemus, et â Viris Doctis, communiter, et Universaliter cum plausu recipiuntur: tales sunt:

Ex Orientalibus:

Annales Sinarum â P. Gaubil gallice editi. Historiæ *Su-ma-kuan*, *et San-hoan-ki*, â D. Fourmont item Gallice compilatæ. Lumen Temporum, auctore *Abi-Mahomad-Giaber* Babdagensis; et Historia Elam, auctore *Abi Haps* Persa, de quibus D. Casiri in Bibl. Arab.

Ex antiquis Græcis et Latinis:

Annales Persarum, et Babiloniorum, incerto auctore. Dion. Cas. Diodorus Siculus.

Suetonius Tranq. Salustius, Livius. Plutarchus, Strabo.

Ex recentioribus Hispanis, Gallis, Anglis, Italis &c.

Historia Universalis Londinens. Nangis, Bonami, Antonelli, Mariana, Morales, Calza, Rollin.

Ex Ecclesiasticis antiquis, et recentioribus:


D. Hieronymus, Theodoretus, Phocius, Evagrius, Petavius, Berti, Natalis, Fleuri, Flores, et Pedraza Granatensis in computis exactissimus.

VI.

PRO INCORRUPTIBILITATE

ASERIMUS, et si variis, ac distinctis Idiomatibus Verbum Dei fuerit transcriptum, ac non semel ab impiorum malitia deturpatum, ejusdem Dei inefabili Providentia ad omnes gentes incorruptum pervenisse: Unde nostra Versio Vulgata absdubiò Authentica, et substantialis erroris libera, omnino conformis est hæbraico textui, prout extat in Bi-

bliis Benedicti Arias Montano: rejectis tamen Masoretarum punctis, quibus, locis non paucis, genuina lectio vitiatur. Ii veró libri, qui Hæbraicè non supersunt, ac proindè non inveniuntur in Codice Hiericuntino (quem etiam cum Vulgata conformem defendimus) Græcis exemplaribus Septuaginta Interpretum, et iis, qui in Exaplis Origenianis pro Authographis habentur, conformes sunt. Novi verò Testamenti Volumina cum autographis Divi Hieronymi in Codice Rufiniano extantibus, omninò concordantia inveniuntur. Insuper integrum utrumque testamentum cum versionibus Arabica, Siriaca, Caldaica, et Græca, uti hæ extant in Exaplis Londinensibus anni 1656, conforme in omnibus suis partibus respectivè defendimus.



Quæ omnia in Verbi Dei, ejusque Sancti, ac Venerandi Nominis honorem et elucidationem defendentur in SPIRITUS SANCTI Cler. Minor. Hispalensi Domo die 15 Septembris anni Domini 1788 à P. VINCENTIO GARCIA in ejusdem Ordinis Malacitan. Collegio D. Thom. Aquin. Studentium Magistro,

ADSISTENTE

P. JO. VELAZQUEZ DE ECHEVERRIA Sac. Theologiæ Lectore, ejusdem Facultatis et Sac. Canonum in Reg. Granatens. Universitate Doctore, ac in eadem Primario Sac. Script. Cathedræ Moderatore, et Studior. Præfecto.

